



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo
deliberantibus accomodata, Una cum ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1680

Consideratio de ordine diurno ordinando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

in singulis, quos sic gloriosè magnificavi, & prædicavi,
sine ullis præcedentibus meritis.

Pro octava Die.

MEDITATIO III.

DE ORDINE DIURNO ORDINANDO

Scopus.

Actiones quotidianæ reformandæ.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de sagena missa in mare, & omni genere piscium congregante, quam cum impleta educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in retes, malos autem foras miserunt, uti S. Matth. c. 13. narrat. Considera, inquam, quàm convenienter per hanc sagenam tantum regnum cælorum, sed etiam ordo diurnus quotidianarum actionum tuarum intelligatur; nam & hic bonas & stenus tam malas, quàm bonas actiones congregabat.

Considera II. Quodnam sit tuum hac in re officium, & inquit ut tu quoque nunc sedeas, & bonas quidem actiones eligas, & retineas deinceps continuandas, & persequendas, malas autem & inordinatas foras mittas.

Considera III. Quænam sint actiones bonæ, quæ malæ, id quod discurrendo per singulas totius diei actiones intelliges. Colloq. ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quem fructum ex tali reformatione actionum sperare possis, videlicet ut singulas bene atque perite obire discas.

Considera II. Quàm præclarus sit iste fructus, & quàm peregrinus oporandus Religioso aut Sacerdoti, utpote qui humani status aggressus est, ut perfectioni consequendæ omnem operam suam impenderet; cum autem arbor bonitas atque perfectio ex fructibus cognoscatur, consequens est, ut ille quoque Religiosus aut Sacerdos perfectus censetur, qui quotidianas actiones, quibus tota ipsa

vita constat, perfectè exercere didicit; ad quam artem ad-
discendam cum summe conducatur Ordinis diurni exacta ob-
servatio, merito maxime eandem facere, & in eo observan-
do omnem diligentiam adhibere oportet.

Considera III. An non ob negligentiam in hujus ordi-
nis observatione commissam tu quoque hactenus minus pro-
feceris in perfectione, & quomodo proinde vel deinceps ac-
curatius eum observare velis. Colloq. ad B.V.

Punctum III.

Considera I. Quæ media potissimum adhibere debeas ad
exactam ordinis diurni observationem procurandam; tria
præcipue suaserim. Primum est, ut sæpius mediteris, benè-
que perpendas, quantum momenti possum sit in actionibus
quotidianis perfectè obeundis. Secundum est, ut non me-
dium examen particulare super singulas actiones, saltem portio-
nes accuratè instituas, sed etiam in generali examine diligen-
ter inquiras impedimenta, quæ potissimum obstant, quò
minus optatum in hoc exercitio profectum facias, eaque per
convenientia removere studeas. Tertium est, ut bre-
vem vitæ tuæ terminum tibi circumscribas, atque adeò de
die in diem, de hora in horam vivas, dicāsque cum S. David
Ps. 60. *Sic Psalmum dicam nomini tuo in saculum saculi,
& credam vota mea de die in diem.*

Considera II. Quàm efficacia sint hæc media ad dictum
finem brevi tempore obtinendum, uti quotidiana experien-
tia satis demonstrat.

Considera III. Quomodo tu hactenus media ista adhi-
bueris, aut certè adhibere deinceps velis. Colloq. ad Chri-
stum cum congruis affectibus.

Legatur ex lib. 1. de imit. c. 19. & illa præcipue verba
bene ponderentur: omni die renovare debemus propositum,
& ad fervorem nos excitare, quasi hodie primum ad conver-
sionem venissemus, atque dicere: adjuva me Domine Deus
in bono proposito, & sancto servitio tuo, & da mihi nunc
hodie perfectè incipere, quia nihil est, quod
hactenus feci.